



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Ioviani Pontani. De Aspiratione Libri duo. Charon
Dialogus. Antonivs Dialogus. Activs Dialogus. Aegidivs
Dialogus. Asinvs Dialogus. De Sermone Libri Sex. Belli,
Qvod Ferdinandvs Senior ...**

Pontano, Giovanni Giovano

Venetiis, 1519

De Valerij Martialis Poëtae dictis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12960

aut uellicant, quaedam uero titillant. alia prima fronte risum mouent, alia diutius uersata relinquunt in animo sedationem quasi quandam. Sunt quae ruborem afferant, quae contra animum erigant, aut moneant, aut dehortentur. De quibus singulis uelle minutatim differere, licet superuacaneum uideatur, cum eorum admonuisse satis quidem uideri possit, Tamen si aliquantum etiam in ijs uersabimur, nec tibi quidem, nec si qui forte alij rerum harum lectores futuri sunt, ingratum fore arbitramur. Illud tamen satis liquet, in uerborum concannitate ac uis plurimum quidem repositum esse siue ad delectandum, molestiasq; lepore tantum ipso sedandas, siue ad uulnerandū, saleq; illinedas plagas, siue ad retorquenda iacula, relinquendamue suspicionem absconditi risus ac ioci, notae uel pudendae in cicatrices inurendas, tum mentis ipsius clam quidem crucianda acerrimos morsus, torturasq; grauissimas.

De Valerij Martialis Poetae dictis.

Valerius Martialis artificiosissimus epigrammatum scriptor ita in ijs quidem iocatus est, ut frequentius carpat, quam delectet, tamen si de morsione ipsa delectatio quoq; paritur. Adhaec dictis eius partim occultissima quaedam insunt spicula, partim uerba quae non solum a faceto sint aliena, uerum aut obscena ipsa admodum, scurriliq; aut maxime ampullosa & acida, quod quidem Hispanicum est, Nam et si Hispani cum primis sunt facetiarum studiosi, tamen si populares respexeris ac plebeios gentis eius homines, inuenies eorum iocos non tam propendere in lusum, ac delicias, quam in submorsiones, magisq; spectare in inuectiuas, & subsannationes, quam in risum, uoluptatemq; e iucunditate conceptam, quae in facietis uiris tenerrima quidem est. Sunt tamen dicta eius in uniuersum arguta, subtiliterq; conquisita. abstruse sententiae, eademq; rarae, salsae, aculeatae. inuentio uero maxime acuta. uerba autem praecipue accommodata, quaeq; non prima tantum facie, atq; in ipso explicatu lectorem alliciant, atq; auditorem, uerum quae in eius animo relinquunt tacitam quandam quasi subtitillationem. Nihilominus in ijs non pauca quidem animaduertitas, quae digna prorsus sint facietis, ac temperatis quibus, retineantq; decorum illud, quod uirtutis huius, de qua praecipimus, maxime est proprium, Quale illud quod & iucundum simul, & salsum est, risumq; uenuste pariter atq; honeste mouet, ac uel in ore etiam matronae non dedecet.

- Unguentum fateor bonum dedisti
 conuiuis here, sed nihil scidisti.
 Res falsa est bene olere, & esurire.
 Qui non cœnat, & ungitur Fabulle,
 Hic uere mihi mortuus uidetur.
- E**st & illud quoq; eiusdem generis in *Cæcilianum*.
 Quicquid ponitur, hinc & inde uerris,
 Mammæ suminis, imbricemq; porci,
 Communemq; duobus attagenam,
 Mullum dimidium, lupumq; totum,
 Murenæq; latus, femurq; pulli,
 Stillantemq; alicui sua palumbum.
 Hæc cum condita sunt madente mappa,
 Traduntur puero domum ferenda.
 Nos acumbimus otiosa turba.
 Vllus si pudor est, repone cœnam.
 Cras te Cæciliæ non uocauit.
- I**temq; & aliud undiq; quidem & suauis, & bellum.
 Quod fronte selium nubila uides Rufe,
 Quod ambulator porticum terit serus,
 Lugubre quiddam quod tacet piger uultus,
 Quod penè terram tangit indecens nasus,
 Et dextra pectus pulsat, & comam uellit,
 Non ille amici fata luget, aut fratris,
 Vterq; natus uiuit, & precor uiuat,
 Salua est & uxor, sarcinæq; seruiq;
 Nihil colonus, uillicusq; decoxit,
 Mæroris igitur causa quæ est? domi cœnat.
- E**t hoc quoq; quod subdam licet admodum mordax, plenum tamen est
 uenustatis ac leporis, quippe quod siue lectum, siue auditum mirifice
 delectat, exilaratq; tum legentem, tum etiam qui audit.
 Garris in aurem semper omnibus Cinnæ,
 Garris & illud teste quod licet turba,
 Rides in aurem, quereris, arguis, ploras.
 Cantas in aurem, iudicatis, taces, clamas.
 Adeo ne penitus sedit hic tibi morbus,
 Ut sæpe in aurem Cinnæ Cæsarem laudes?
- S**ummæ autem urbanum hoc, & lepidum.
 Spectabat modo solus inter omnes,

- Nigris munus Horatius lacernis,
 Cum plebs, & minor ordo, maximusq;
 Sancto cum duce candidus sederet.
 Toto nix cecidit repente coelo.
 Albis spectat Horatius lacernis.
- P**rofluunt autem hæc dictorum genera fonte ex eo, qui nõ una quidem,
 & tenui manat scatebra, uerum uberiore quæ decurrat, ac præter-
 labatur riuo, nec paucas dictum ipsum constat uerbis, uerum complu-
 ribus. At illud & breue, & mordax, et perquam falsum, obscenum
 tamen, nec conuentu honestorum uirorum dignum.
- O**s & Labra tibi linguit Manuela cattellus,
 Non miror, merdas si libet esse cani.
 Quod dictum non tam res ipsæ, quàm uerba scurrile efficiunt atque de-
 generosum.
 Est & illud eiusdem generis, minus tamen obscenum.
- Q**uod fellas, & aquam potas, nil Lesbia peccas.
 Quæ tibi parte opus est Lesbia sumis aquam.
- A**t illud neq; obscenum, neq; honesta hominum confessione indignum.
Formosam faciem nigro medicamine uelas,
 sed non formoso corpore lædis aquas.
- I**psam crede deam uerbis tibi dicere nostris,
 Aut aperi faciem, uel tunicata laua.
- S**unt apud eundem Poëtam dicta et quidem non pauca, quibus sub uelo
 abscondita insunt spicula, eaq; peracuta. Quale hoc,
De nullo quereris, nulli maledicis Apici,
 Rumor ait linguæ te tamen esse male. Itemq;,
Versiculos in me narratur scribere Cinna,
 Non scribit cuius carmina nemo legit.
- I**n hoc uero manifesta apparet, se seq; ostentat mordacitas.
 Credi uirgine castior pudica,
 Et frontis teneræ cupis uideri,
 Cum sis improbior Massiliane,
 Quam qui compositos metro Tibulli
 In Stellæ recitat domo libellos, Et in hoc item,
- N**ulli Thai negas, sed si te non pudet istud,
 Hoc saltem pudeat Thai negare nihil.
- I**lla uero uideri possunt, fortasse etiam iure suo frigida.
Omnis quas habuit Fabiane Liquoris amicas
 Extulit. uxori fiat amica mee. Item,

M illia misisti mihi sex, bisseua petenti,
 Vt bisseua feram, bis duodena petam.
A t hoc cum primis ridiculum, tamen si minime uacuum est obscenitate.
I nfantem secum semper tua Bassa Fabulle
 Collocat, & lusus, deliciasq; uocat,
E t quod mireris magis, infantaria non est.
 Ergo quid in causa est? pædere Bassa solet.
I llud uero prima fronte quanquam est pers familiare ac facetum, latet in
 eo tamen etiam maledicentia, acusatioq; impotentia.
H o spes eras nostri semper Matho Tiburtini.
 Hoc emis. imposui. rus tibi uendo tuum.
E iusmodi sunt igitur Martialis dicta, ut pleraque multum habeant sa-
 lus, nec minus fellis, atque ampullosi, proq; loco & iocentur, &
 delectent, interdum ruborem inducant, magis quam risum, alia
 uero que non prurimum tantum exciant, aut titillatum, uerum eti-
 am petulantiam præ se ferant, lususq; parum omnino modestos.
 Per sepe autem uere cundari ita nescit, ut uel aperte scurratur, nec solū
 inuidere sicophantis uideatur ac parasitis, uerum etiam mimis. A deo
 autem cuncta hæc complexus est genera, estq; in ijs ita frequēs, et mul-
 tus, ut alijs in eiusmodi iocis ludēdi præripuisse uideri uelit materia.
 A nobis autem cum mediocritas parte in hac quaeratur, defugian-
 turq; extrema, alia dictorum tum genera quaerenda sunt, tum species,
 quæ facietorum sint omnino propria. Vtq; Valerij huius dicta, par-
 te quidem non exigua institutioni huic nostræ parum consentiunt, Sic
 & Marci Ciceronis quædā et exploranda, qui ppe quæ Oratori ma-
 gis conueniant ad uictoriam causæ comparandam, quam ad eam ani-
 morum relaxationem, quæ a nobis cum honestate ac dignitate quæ-
 ritur, cuiusq; insita est hominibus à natura appetitio. Itaq; quid &
 quomodo Cicero de ijs sentiat a nobis prætereundum non est.

Duo esse secundum Ciceronem facietiarum genera.

L egitur autem apud eum duo esse genera facietiarum, alterum æqua-
 biliter in omni sermone fusum, alterum per acutum, et breue, illamq;
 Cauillationem à ueteribus appellatam, alteram uero hanc Dicata-
 tatem, utranque tamen leuem rem esse, quando leue prorsus sit ri-
 sum mouere. Nihilominus in causis multum per sepe lepore ac
 facietijs Antonio auctore profici. In neutra uero artem ipsam quip-
 piam habere loca, quando in illo genere perpetuæ festiuitatis ars non